



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. An ingressus in Relig. liberat à restitutione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ad suam, & suorum sustentationem parcam.
Est Communis.

Prob. i. ex Jure Civili, L. i. Cod. *Qui bonis cedere possunt.* ibi: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eodem enim tantum, modo hoc Beneficium (cessionis) eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem. & ex l. 4. ff. de Cess. bon. Is qui bonis cessit, si quid postea adquisierit, in quantum facere potest convenitur.* 2. Quia in foro conscientiae per necessitatem, & impotentiam non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restituendi, donec facultas adsit: ergo nec cessio plus praestat. Igitur cessio bonorum hoc solum praestat, ne debitor possit conjici in carcerem, ex cit. l. & ne, si post cessionem aliquid acquirat, possit eo spoliari, si eo indigeat ad suam, vel suorum sustentationem, ex L. 6. ff. de Cess. bon. quod etiam valet in foro conscientiae, cum sit privilegium jure concessum, & contractus juxta leges celebrentur; sed de residuo tenetur debita solverē.

Q. 3. An ingressus in Religionem liberat à restitutione?

Not. Apud omnes constat validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec Jure positivo irritatur, ut declaravit, Clemens VIII. quoad hoc punctum abrogans quod Sixtus V. statuerat.

N 2

Utér-

Utérque autem Pontifex prohibuit, ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati.

Resp. I. Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi causam.

Resp. II. Secundum multos, si debitor possit breviter tempore, v. g. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte tenetur differre ingressum, ut ea solvat; quia alioqui creditores essent rationabiliter inviti; & sic injuriam iis inferret.

Resp. III. Si debita sint incerta, ideóque in pia opera impendenda, debitor potest religionem ingredi, licet manens in sæculo possit solvere. *Id supponunt omnes.* quia poterit saltem ex consilio Confessarii, ea sibi tanquam pauperi applicare ad opus Deo gratum, & meritorium, ut nempe possit ingredi religionem.

Resp. IV. Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, secundum multos potest licitè religionem ingredi, relictis omnibus bonis suis creditoribus: quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longè majus, quàm sit commodum creditorum: unde hi non sunt rationabiliter inviti.

Alii tamen non pauci id negant, tum quia jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideóque injuriam inferret, si voluntariè se impotentem reddat ad solvendum: obli-

obligatio autem justitiæ prævalet consilio. Tum quia stuprator Virginis sub promissione matrimonii tenetur ab ingressu Religionis, ut promissioni onerosæ satisfaciatur. Et hæc sententia, teste Layman, fuit approbata à Sixto V. & Greg. XIV.

Q. 4. An si debitor immemor sui debiti tantum donet creditori, quantum ei debet, excusatur à restitutione?

Resp. Neg. Quia liberalis, & gratuita donatio nec est, nec potest esse solutio necessaria debiti ex justitiâ; cum hæc inter se pugnent. Nec refert quòd si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset; nam actualis dispositio voluntatis, non autem conditionalis seu conditionatè futuræ, attendenda est, & operatur in pactis: nam quòd non existit actu, nihil efficere potest. Si autem debitor memor debiti tantum donet animo se liberandi, quamvis putetur liberaliter donare, satisfacit debito, &c.

Q. 5. An debitor liberatur à restitutione, si creditori sui creditoris solvat, quod debet?

Resp. Multi affirmant, modò debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati, aut hypothecarii. Quia, inquit, solvendo Fratri meo centum quæ illi debes, emo, & acquirò jus, quod habebat exigendi à te centum: at jus quod ha-